

Fridericus Hermannus Zoll


**Oratio Funebris Gloriosissimae Memoriae Serenissimi Et Potentissimi Principis  
Ac Domini Domini Caroli Hassiae Landgravii ... Devoto Ac Pio Cultu Consecrata  
Et Publice In Academia Rinteliensi V. Nonas Quintilis M DCC XXX. Dicta**

Rintelii: Enax, [1730]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn831839244>

Druck Freier  Zugang






Oswald Weigel  
Antiquariat & Auktions-Institut  
Leipzig, Königsstr. 1.

1903  
comp. l. coll. 50.11.

2  
im.

A215



{ Hessen }

R-1135

AK: 00 F.

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock





1. Hassia Landgravium & ejus natalem quadragessimum quintum. Zintlii 1698.
- 5.) Jean Phil. Lau Panegyris in nuptias Frederici III. Landgraviatus Hassia heredis & Ludovicae Dorotheae Sophie Regiae Borussiae Principis. Berolini 1700.
- 6.) Ludov. Greg. Ditsch Panegyricus Funebris in memoriam Dorotheae Charlotta Hassia Landgraviae natae e Domo Caesarea. Giesse 1805.
- 7.) Com. Ludov. de Gemmingen Panegyricus Ernesto Ludovico Landgravio Hassia dictus. Giesse Hassorum 1705.
- 8.) Elegie sur la mort de Louyse Dorothee Sophie Princesse Royale de Prusse Hereditaire de Hesse Cassele deesse à Cassele 18 Nov. 1705.

9.)

- 9.) Castrum Doloris Georgio Landgravio  
Hassia in Expugnatione Barcelona  
eiusdemq; Fortalitii Montis mortuo  
prostitutum à Pusto Eberhard Pasfern  
Darmstadii 1706.
- 10.) Christoph. Arnold de Voigt Oratio Pa-  
negyrica Hassia juvenutis Princi-  
pibus dictus, cum Programmate Aca-  
demico & Carminibus Giesæ Hassorum  
1707.
- 11.) Programma Giesense in nativitatam  
Ludovici Hassia Principis. Giesæ  
Hassorum 1720.
- 12.) Frid. Herm. Goll & Joh. <sup>13</sup>Wic. Fune-  
cii nomine Academia Pintelensis  
Orationes Funebres Panegyrici in  
memoriam Caroli I. Hassia Land-  
gravii.

gravi cum Programmate Academico. 3. <sup>Stück</sup>  
Hinfeln 1730.

14. 13.) Christoph. Frid. Sürmanni Votum Occasio-  
ne Connubii Maximiliani & Fridericæ Char-  
lotte Principum Hassia 1720.

15. 14.) Ejusdem Luctus in funere Principis Her-  
editaria Hasso-Darmstadina Data Comi-  
tis & Heredis Hanovia. Giesæ 1726.

16. 15.) Christiani Breithaupti nomine Acade-  
mie Julia Gratulatio Solemnis in nuptias  
Friderici Landgraviæ Hassia Principis;  
cum Carmine Academia Göttingensis  
& alio Germanico 3. <sup>Stück</sup> Helmst.  
1720.

ORATIO FVNEBRIS  
GLORIOSISSIMAE MEMORIAE  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI

CHAROLIE

HASSIAE LANDGRAVII, PRINCIPIS HERSFEL-  
DIAE, COMITIS CATTIMELIBOCI, DECIAE, ZIE-  
GENHAINAE, NIDDAE, ET SCHAVMBVIRGI  
CETERA

DEVOTO AC PIO CVLTV CONSECRATA

ET PVBLICE

IN ACADEMIA RINTELIENSI

V. NONAS QVINTILIS clō Iccc xxx.

DICTA

A

FRIDERICO HERMANNO ZOLL

IVRIS ET OPTIMARVM ARTIVM STVDIOSO.

  
1730  
RINTELI

IMPRESSIT ACADEMIAE TYPOGRAPHVS

IOHANNES GODOFREDVS ENAX.

*Viro perillustri ac Reverendissimo Christo,  
phoro liberi et Imperialis Coenobii Luccensis  
Abbati, Regiae Majestatis Britannicae interelecto-  
ralibus consiliario provinciali primo ac factum  
Calenbergi ducatus primati, Magno literarum Pa-  
trono.*

ORATIO FVNERBRIS  
GLORIOSISSIMAE MEMORIAE  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI  
DOMINI

CHARLES

HASSIAE LANDGRAVII, PRINCIPIS HERSFEL-

DAE, COMITIS CATIMELIBOCI, DECIAE, ZIE-

GENHAE, NIDAE, ET SCHAMBERGI

DEPOTO AC PIO CULTU CONSECRAEA

IN ACADEMIA RINTELIIENSI

V. NONAS QVINTILIS MDCCCXXX

DICTA

A

FRIDERICO HERMANNO ZOLL

IVRS ET OPTIMARVM ARTIVM STUDIO.

RINTELII

IMPRESSIT ACADEMIAE TYPOGRAPHVS

IOHANNES GODOFRIDVS ENAZ.

*Handwritten note in cursive script, likely a library or archival record, partially obscured by the binding edge.*

AVGVSTO ET POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
**FRIDERICO**  
SVECORVM, GOTHORVM ET VANDALORVM  
REGI  
MAGNO PRINCIPI FINLANDIAE  
DVCI  
SCANIAE, ESTHONIAE, LIVONIAE, CARELIAE,  
BREMAE, VERDAE,  
STETINI, POMERANIAE, CASSVbiae  
ET WENDIAE  
PRINCIPI RVGIAE  
DOMINO INGRIAE ET WISMARIAE  
ETC. ETC. ETC.

HASSIAE LANDGRAVIO, PRINCIPI  
HERSFELDIAE, COMITI CATTIMELIBOCI,  
DECIAE, ZIEGENHAINAE, NIDDAE  
ET SCHAVMBVrgi  
ETC. ETC.

OPTIMO PRINCIPI  
DOMINO CLEMENTISSIMO  
ET  
PATRIAE PATRI DESIDERATISSIMO  
MAGNI ET INVICTI ANIMI HEROI  
PIO, FELICI, INCLVTO  
**PARENTALIA**  
PARENTI BEATO ET GLORIOSISSIMO  
EA QVA DECET PIETATE  
SOLVTA  
DICTAMQVE PANEGYRICAM ORATIONEM  
QVA  
FAVSTA SIMVL ET PROSPERA OMNIA  
SVCCEDENTI OMINATVR  
**REGI**  
ETC. ETC. ETC.  
HVMILLIME OFFERT  
FRIDERICVS HERMANNVS ZOLL  
RINTELIENSIS.



IOHANNES NICOLAUS  
FVNCCIUS,

Eloquentiae, Histor. et Polit. Prof. Ord.

Beneuolo Lectori

S. D.



DIU multumque, etiam post illas auctoritate publica celebratas nuper exequias CAROLI, HASSIAE LANDGRAVII, et insigni affectu soluta parentalia, mecum cogitanti: quae et quoties TANTO PRINCIPI, ad summam rerum gestarum gloriam, essent dicenda; quomodo et quoties Pii Manibus iusta quam optime essent perficienda; atque cum haesitantibus et incertis Patriae rebus, lugentibus et moerore plenis ciuibus, et omnibus ob acerbissimum Diui CAROLI, PATRIAE PATRIS, obitum contristatis, vnicum esset solatium atque refugium relictum in *AVGUSTISSIMO ET POTENTISSIMO SVECORVM, GOTHORVM ET VANDALORVM REGE, FRIDERICO*, succedente in Patria PATRE ATQVE DOMINO *CLEMENTISSIMO*, quae et quousque feliciter imperanti nostra testanda Pietas, quibusque verbis vota, vt submissa castaque mente fiant, ab nobis et viris quibusque cordatis omnibus suscipienda essent: haud incommode non solum in mentem veniebat, olim apud Graecos atque Romanos, homines a vera pietate longe remotos, si quis praeclare de Patria meritus diem obiisset supremum, illi

A

prope

prope Deorum honores tributos, eiusdemque laudes primum celebratas tristi ac funebri tot oratorum voce, deinde posteritati statuis ac vario monumentorum genere proditas fuisse: verum etiam solennis atque stata in Perside Maiorum occurrebat consuetudo, qua primo diluculo Diis leguntur semper statuisse canere hymnos, laudesque recitando, orientem venerari solem. Ita enim superstitiosa sibi persuadebat antiquitas, nouam dierum singulorum felicitatem confirmari. Nos, meliora quidem docti, vnum verum Deum, qui et Rex Regum, et Dominus Dominantium, et rerum omnium creator est, colimus, veneramur, adoramus: ipsius rei tamen suadet aequitas, et consuetudinis vrget religio, vt sacra et inter nos Heroum et Patriae Patrum sit memoria: quos pie defunctos videmus vno ore celebrare omnes; quorum viuere scimus post funera virtutem, maximamque et incomparabilem perennare famam. Hinc parentalia, hinc funebres orationes, hinc aeternatura et omni aere aptiora gloriae et honoris monumenta. Ecquis id muneris post fata non offeret Principi, quem vere Patriae Patrem et conseruatorem nominare possumus? Satis adhuc priuatim et publice deplorauimus **CAROLI H. L. AC DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI**, obitum: cui et incluta haec Academia nuper, heu! quam amara et difficilia verba dici per me, atque iusta persolui suo nomine voluit. Sed de omni solatio non desperandum est. Exosculanda immortalis Dei summa gratia, quod **TANTI PRINCIPIS** felicissimo regimine tamdiu nos saluos, incolumes, atque laetos esse iussit. Satis est, eum nobis, nunquam interrupta patriae tranquillitate, aliquot supra annos quinquaginta praefuisse. Satis est, **CAROLVM** annis, exspirauit enim octogenario tres annos minor, omnes, quotquot fuerunt post Henricum Ferreum, **HASSIAE LANDGRAVIOS**, forsan et qui ante eum fuerunt, superasse. Vixit **CAROLVS**, **PATRIAE PATER**, vixit. Laboribus exantlatis, quicquid aerumnarum fuit, rerum omnium satur deposuit, et qui scopus tot actionum, aeternis laudibus dignissimarum, ad coelestem patriam et gaudia infinita penetrauit. Iuuentam heroicis exercuit occupationibus; aetatem virilem illustribus factis ornauit; senium optimis consiliis muniuit; Patriam sua cura et vigilantia felicem vidit; sua denique gloria et pulcherrima sobole ad finem vitae gauisus est: quoad infracto vigore imperterritus mortem sibi imminentem amplecteretur. Si igitur, qui deuotus est Dei cultor, qui omnia pietate et in Sospitatorem vnicum fide spectatissima per-

peragit, qui veritatis custos, qui religionis, qui iusti et aequi summus sacerdos, qui Christianas virtutes per totam vitam exercet, mortem nanciscitur tandem vita potioem: **OPTIMVS PRINCEPS** Hic beate et pulcherrime vitam cum morte commutavit. Felix et selecta anima minus commodum corporis nexum quam lubentissime reliquit, suumque vt expleatur votum, recta ad diuorum sedes, sui que creatoris thronum, gaudiis fruitura aeternis, euolauit. Nos vero quicquid in diuo **CAROLO** amisimus, et satis lugere non possumus ereptum: id omne in Exoptatissimo Successore et Paternarum Virtutum Absolutissima Imagine recepisse gaudemus. Ille nobis Sol felix et faustus oritur, ad emolumentum patriae nostramque expectationem natus, et tristes, quas atra mors Hassiacis prouinciis obduxit, tenebras dissoluit. Quidni et nos, quibus diuinior eluxit pietas, amplectamur et veneremur, votisque coniunctis prosequamur et teneamus nouum Sidus illud, quod omni Sole serenius effulget? Ad hoc nunc sese omnes insigni pietate conuertunt. Ad hoc lacrumansque gemensque Academia haec confugit, suamque inde salutem petit. Nostrum nemo est, quam late patent Hassiacae regionis populi, **TANTOQUE REGI** subiectae gentes, nemo tam felix, tam miser, tam pius, tam socors atque durus, qui **CAROLI, PRINCIPIS MAXIMI ET INCOMPARABILIS**, exitum non acerbissime doleat. Nostrum vero etiam nemo est in tam graui vulnere insolabiliter ad terram prostratus: qui non in **AVGVSTISSIMO ET POTENTISSIMO FRIDERICO, SVECORVM, GOTHORVM, ET VANDALORVM REGE** etc. etc. etc. **HASSIAE LANDGRAVIO**, reliqua, nobis instar Solis diuinitus concessio, et omine successionis laeto, semet erigere, atque hunc casum, quem fata tulerunt, tristissimum vberima spe leuare possit. Cum **FRIDERICO, REGE ET DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO** est, quicquid laetos, felices, sospites, nos reddere valet: atque adeo nihil restat, quin laeti, felices, sospites simus. Ille enim et liberare, et protegere, et iuuare, et beneficiis cumulare nos vult, atque potest. Vult, quia optimus; potest, quia maximus. Vt Pater nos fidelissimos suos amabit: simul atque etiam ab nobis vt **PATRIAE PATER** amabitur vicissim. Nouo ergo nos atque insolito oportet rursus indui gaudio; tandemque, luctui opposito incomparabili solatio, oculos manu abstergere lacrumantes, et Summo Numini agere gratias, quod succeden-  
tem

tem **OPTIMUM PRINCIPEM** nobis, nostrae felicitatis originem, dedit. Hoc nostro velut Sole recens orto nihil nobis amabilius, utpote qui tot sibi subiectissimos populos vndiquaque desideratissimis virtutibus suaque Clementia illustravit. Nihil adeoque potius curandum est, quam ut immortalem Deum atque Solem diuinae gratiae aeternum, qui tanto benignitatis hoc nouo radio, tristibus pulsas rerum nostrarum nubilis, tam clare dignatus est illucere, pro diuturnitate atque perennitate huius tanti muneris, quam deuotissime veneremur. Illud pietatis ac submissae deuotionis officium quotidie alacri animo et quadam quasi cum ambitione omnes praestant. Publice autem insigni conatu et affectu tenerimo suum sensum explicabit


*Vir Iuuenis Nobilissimus et Praestantissimus,*

**FRIDERICVS HERMANNVS ZOLL,**

*Iuris et elegantiorum literarum cultor,*

**IACOBI HENRICI ZOLLII**, I. V. D. et Profess. et Academiae huius Syndici bene meriti, Filius, **HERMANNI ZOLLII**, I. V. D. et Professoris Primarii, et Dicafterii Hasso-Schaumburgici Consiliarii Senioris, Nepos haud indignus, vtriusque et auitae virtutis Aemulus: qui proximo die Lunae, V. Nonas Quintileis, hora IX. in auditorio maiori, oratione ab se proprio Marte conscripta, *maximas ex CAROLI, H. L. felicissimo regimine fuisse nostras delicias; neque minorem ex eius obitu miseriam atque luctum; maximam rursus, quae vtinam perpetua sit, ex FRIDERICI REGIS successione laetitiam esse*, demonstrabit. Hunc actum oratorium ut praesentia sua ornare velint, omnes Academiae Proceres atque Ciues, Hospites, Fautores et Amicos inuitamus, rogamus, atque oramus: rati suapte quemuis sponte testaturum, quantum **PRINCIPIS PIE DEFUNCTI** beatis Manibus debeat; quantusque nunc Regiarum Virtutum **SUCCESSORIS OPTIMI** admirator atque cultor haberi velit. Omnibus vero et singulis, pro luctu et squalore, quibus adhuc tristes incedunt, deuoti optamus, ut coelestis fauor noua gaudia, nouamque gratiam impertire dignetur. P. P. RINTELII, III. Kalend.

Quintilis clō lōcc xxx.





MAGNIFICE DOMINE RECTOR,  
VIRI SVMMME REVERENDI, AMPLISSIMI,  
CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, PLV-  
RIMVM REVERENDI, CLARISSIMI, PRAECEPTORES ET  
FAVTORES EXCELLENTISSIMI, COMMILITONES  
ORNATISSIMI, HOSPITES ET AVDITORES  
OMNIVM ORDINVM HONO-  
RATISSIMI,



ita hominum quantae  
fit obnoxia varietati, neminem  
inter vos reperiri arbitror, Audi-  
tores Honoratissimi, qui doctus  
quotidiana experientia non videat, vel etiam  
non satis superque communi calamitate cogno-  
scat. Vt lux diurna a tenebris nocturnis, aestatis  
amoenitas ab asperitate hiemis excipitur, et vt  
laeta florum seges in niues conuertitur: sic in vita  
B huma-

humana rebus prosperis succedunt aduersae, laetis tristes, gratis molestae. Vnde ad hanc hominis rerumque varietatem inter Poëtas nullus propius alluisse mihi videtur quam comicus, qui

*Multa, inquit, in hominum aetate eueniunt huiusmodi,*

*Capiunt voluptates, capiunt rursum misérias.*

Sic et nos antea cepimus voluptates, capimus rursum nunc misérias, nec tamen sine spe solatii et melioris vitae. Quae rerum contrariarum et inter se confligentium vicissitudo ab Homero exprimitur, figmento duorum in limine Iouis collocatorum iuxta se doliorum, quorum alterum bonis, alterum malis impletum muneribus, vt diuum Pater atque hominum Rex ille, quod stulta credebat vetustas, res temperaret mortaliũ. Certe immortalis Deus, quod experientia nos docemur quotidiana, nunc laetis vitam miscet, nunc tristibus idem. Haec tamen vita plus miseriarum, quam iucunditatis habet, et nihil in hoc mundo tam gratum, tam laetum, tam acceptum est, quod nos moerore non simul afficiat. Vnde prouerbium, *ubi mel, ibi fel; ubi vinum, ibi fex*, obtinuisse videmus. Exempla non sunt petenda ex longo temporis praeteriti interuallo:

recen-

recentissimum hoc atque luētiosissimum suppe-  
ditat CAROLVS, PATRIAE PATER, PRINCEPS CLE-  
MENTISSIMVS, vt vno verbo complectar omnia,  
HEROS omni virtute praeditus, qui nostrae olim  
fuit deliciae, nunc nos, communi mortis lege  
ereptus, moerore atque luētū reliquit. Quantus  
fati rigor! COLVMEN NOSTRVM ATQVE RE-  
FVGIVM obiit. Tota Regio planctū et aegritudi-  
ne consumta est; omnes Academiae ciues ge-  
mitus alto ex pectore trahunt; nec ego ab omni  
humanitate adeo alienus et impius sum, vt, cum  
praeter bona communia, tot singularia et prae-  
clara beneficia, quibus Pater et Auus, non ita  
pridem defuncti, ATANTO PRINCIPE clementissime  
cumulati fuerunt, ante oculos perpetuo versan-  
tur, eandem vel maiorem tristitiam non sentirem.  
Immo effusa fuit vsque adeo, vt intra pectus  
contineri nequeat, quin lugubri oratione, vix  
meae infantiae, aut illarum rerum, quae triste  
mihi silentium suadebant, habita ratione, in pu-  
blicum prodierim. Licet aetas puerilis, inge-  
nium valde mediocre, exercitatio dicendi ne-  
glecta vel intermissa, infirma memoria, et plura  
obstant alia, quo minus multa, et eruditorum au-  
ribus digna, de ardua et lugubri hac materia  
in

in medium proferre queam: Pietas tamen vicit pudorem, tanto magis, quod et vulgo constat, Summum Numen magis amare precantium castitatem, quam verborum lenocinia, quae ornatum quidem egregie, non cordis verum sensum exprimunt.

Tanto alacrius in hac virorum eruditissimorum corona, tantoque felicius officio perfungar meo, et demonstrabo, secundum sententiam atque dictum Poëtae, maximas ex CAROLI, HASSIAE LANDGRAVII, felicissimo regimine olim fuisse nostras voluptates, neque nunc minores ex eius obitu miseras. Et quemadmodum nulla est calamitas, quae non discedat vicissitudine rerum: sic quoque Hassiae vulnus acerbum quidem inflictum, est non insanabile. *AVGVSTISSIMI ET POTENTISSIMI FRIDERICI, SVECORVM, GOTHORVM, ET VANDALORVM REGIS, successio, nostra nunc est laetitia, nostra salus, nostrum refugium.*

Summopere igitur a vobis contendo, Auditores omnium ordinum Honoratissimi, vt pio muneri et conatibus meis bene consulere, et qualemcunque orationem meam praesenti beneuolentia vestra subleuare velitis.

Licet

Licet mihi tot tantaque CAROLI PRINCIPIS virtutum specimina ante oculos versentur, vt me tempus, non orationis copia, videatur deficere: tamen vnde orationis principium comode possit deduci, non exigua mihi statim difficultas suboritur. An a generis et natalium claritudine auspicandum? Non puto, eius mentionem esse faciendam, quia omnem laudem eo ipso superat, quod sanguinem non Principum, non Regum solum, verum etiam Maximorum Imperatorum tangat. An a Parentum Maiorumque virtute et fortitudine, qui semper tempore pacis reip. summa sapientia praefuerunt, tempore vero belli fortissimos sese praestiterunt? Hoc plurimorum literis toties iam celebratum, et orbi pridem inclaruit vniuerso. Quocirca animo non possum concipere meo, quendam esse ex vobis, Auditores Honoratissimi, cui hae res non satis notae; aut mirum videri, ex talibus TALEM PRINCEPEM prognatum fuisse. An commendandus OPTIMVS PRINCEPS a Patria, et ipsi, et nobis charissima, quae est Hassia? Ecquis dubitat hanc Regionem prae ceteris tantam sibi acquisiuisse famam, gloriam, laudem, partim virtutis et sapientiae studio, atque magna

C hinc

hinc doctorum copia, partim fortitudine belli, aucta atque corroborata adeo, vt nulla vnquam hanc deletura sit obliuio. Atqui haec laus ipsi SERENISSIMO PRINCIPI cum pluribus erit communis: vt verear etiam dicere quicquam de corporis praestantia, maiestate vultus, suauitate oris, et summa PRINCIPIS auctoritate, quae omnia TANTO HEROE digna fuerunt, et veneranda, et maxima. Imo et insignes corporis dotes virtutis et speciosae mentis indicem, et futurae felicitatis praesagium non fallax repraesentant. Quia vero praestantia formae constans non est, et quemadmodum bene dicit Isocrates, nosmet etiam ipsi quotidiana docemur experientia, elegantia corporis vel aetate deflorescit vel morbo; potius oratiunculam direxi meam, ad PRINCIPIS magnitudinem animi, et praedicandam declarandamque illius partis excellentiam, qua sibi maximam et immortalem acquisiuit nominis gloriam. Quantum PRINCEPS noster aetate profecit, tantum laudis sibi virtutibus comparauit. In omni vero virtutum genere, quo ad extremum vsque vitae halitum vsus est, memoranda inprimis sapientia: quae est omnium actionum humanarum Regina, et diuinarum atque humanarum

narum rerum complectitur scientiam vniuersam. Sine ea non potest Respublica prospere geri, nulla ciuitas contineri, nulla societas esse prospera et laeta: adeo vt Principum quorumuis haec prima cura esse debeat: cum salus reipublicae a solo Principe petenda sit. Qui ergo hanc elegit, illum vitam in hoc mundo accepisse beatam, nullus dubitabit. Salomo, Regum omnium sapientissimus, nihil aliud a Deo petiuit, quam sapientiam, vt populum Israëliticum sospitem atque saluum sub imperio suo haberet. Proh dolor! amisimus nuper PATRIAE PATREM sapientem, per quem Hassia summa auctoritate, gloria, laudibus floruit. Proh dolor! amisimus et PRINCIPEM catum et summe prudentem, et Salomonem omnino repraesentantem. Eandem vero, sed quanta felicitas, et sapientiam, et reliquas virtutes in FRIDERICO REGE nunc reuiuiscere, nostramque salutem restitutam videmus. Mirabile dictu, quanta diuinae mentis parte et prudentia CAROLVS NOSTER HASSIAE LANDGRAVIVS rexerit. Neque satis praedicari potest in FRIDERICO SVCCESORE solers et incomparabile imperandi artificium, eaque gratia, qua nos patre orbos, nostrae SALV-  
TIS

TIS STATOR, et FORTISSIMVS HEROS amplectitur. Merito gratiae Deo sunt agenda, quod nos per omnem nostri Salomonis aetatem, et imperium satis longū, quietem fere semper atque pacem habuimus. Sed vnde tanta felicitas? vigilando, bene agendo, bene sibi met ipsi consulendo, ex voto omnia OPTIMO PRINCIPI successerunt. Summe sapiens et prudens est quoque *AVGVSTISSIMVS ET POTENTISSIMVS CAROLI SVCCESOR FRIDERICVS*, REX ATQVE DOMINVS NOSTER CLEMENTISSIMVS, qui prouidentia incomparabili et optimis consiliis, ita omnia gubernat ac moderatur, ne eum aliorum mala vnquam auferant molimina, et res, ad patriae exitium variaque incommoda excogitatae. Non satis ista tempora sunt laudanda, quibus CAROLVS, noster Salomo rexit, et imperium gessit cum omnium applausu, gessit cum prudentia, gessit cum tempore pacis, tum belli maxima cum circumspectione, ne quid detrimenti capiat respublica; atque adeo se semper sapientissimum in omnibus praestitit. Non PRINCIPES, non REGES solum, verum etiam Ipsi CAESARES AVGVSTI et Inuictissimi, perpetui foederis et amicitiae vinculum cum HEROE nostro fortissimo

fimo

fimo et sapientissimo inire, et sancte seruare maximam dederunt operam. Multis rebus, non illis quidem parui momenti, sed maximi quae fuerunt ponderis, ad salutem Patriae, pacemque in Imperio stabiliendam, sese immiscuit, nec irrito conatu: rebus Ipsi maximis quibuscunque ex animi sententia succedentibus: vt operam, et auxilium, et victricia eius arma, PRINCIPES ac IMPERATORES quam saepissime efflagitarent. Vbicunque bellum gereretur, ibi semper desiderium CAROLI erat, HASSIAE LANDGRAVII, vt selecta, quam secum ducebat, manu aut propelleret hostes, aut iniusta componeret bella, interque partes diuersas pacem constitueret, nouaque foedera, pro insigni prudentia sua, et quibus inter arma consueuerat vti, optimis consiliis stabilire studeret. Iam tum ab ineunte aetate primaque adolescentia tam excellenti fuit ingenio, vt iure meritoque de eo, vtut tenello, dici potuerit, virtute ac incomparabili disciplina suos longe superare annos: quibus progredientibus haud fallacem excitabat spem omnibus, fore vt gloriam sibi immortalem, rebus et pace et bello praeclare gestis, compararet. Operam insignem dedit artibus Mathematicis, in quibus tantos

D

fecit

fecit profectus, vt, si nihil laudis addo, nihil detrabo, iure meritoque possim dicere, paucos eodem tempore id genus disciplinarum Principes ita eminuisse, vt non longe multumque omnes superasset. Quantum in humanitatis, linguarum, politicae, et historiarum studio, tantum in architectura militari et ciuili profecit, vt non solum de operibus, aedificiis, munitioibus, atque rebus ceteris, quam accuratissime iudicare statim potuerit, verum etiam ipse multa tormentorum, mortariorum, instrumentorum bellicorum, vrbium, palatiorum, praediorum, atque rerum ad vtramque architecturam pertinentium noua dederit inuenta: de quibus Cassellis et aliis locis exempla et formae loquuntur. Hassia tantum sub imperio Huius Principis floruit, quantum vix alio tempore. Multas ciuitates, multos in bello tricennali incultos atque vastatos agros restituit, suisque dedit colonis vt foecundiores fierent, varias artes, officinas atque opificia promouit, quibus Galli, propter religionem expulsi, occasionem praebuerunt. Hos enim recepit in suam protectionem, et primum curauit, Cassellis vt optima illa, quae appellatur noua Gallorum ciuitas, aedificaretur. Sic et alios

pro-

prope viginti pagos vicosque eleganter exstru-  
ctos pulsas suaque patria exulantibus Gallis in-  
habitandos dedit. Quantis impensis passim  
salifodinas et metallifodinas reparavit? Cer-  
te nemo ista vidit tempora, quibus hae maiori  
fuerunt vsui. His atque aliis modis locupleta-  
uit suam regionem, et laeta cum exteris studuit  
promouere commercia: quae magna tam Has-  
siae, quam ceteris in vicinia prouinciis, attulit  
commoda. Sed quoniam Respublica, bene  
constituta, sine religione consistere et conser-  
uari nequit, PRINCEPS OPTIMVS non vetera so-  
lum templa restauravit, verum etiam multa  
aedificauit noua: ecclesiae non modo conser-  
uandae, sed et augendae operam nauauit quam  
maximam. Sumtibus haud exiguis instituit scho-  
las, inprimis optimum illud Hirschfeldense  
CAROLINVM, eiusdemque nominis, quod  
Cassellis est, illustre Gymnasium: vt nihil de Aca-  
demiis Marburgensi et Rinteliensi dicam, quo  
summis beneficiis perduxit clarissimos et doctis-  
simos vndique viros. Dies ad honorem Dei  
constitutos religiose obseruauit, et nihil magis  
habuit in votis, quam vt pios, et immortalem  
Deum, qui Rex Regum, et Dominus Domi-  
nan-

nantium est, deuota mente colentes, omnes sibi subditae prouinciae continerent ciues. Quibus vt suo exemplo praeluceret, ipse summa cum reuerentia et pietate semper sacra officia Deo praestitit. Cum in ciuium concione frequens bonis operibus vacaret, atque rebus Principe Christiano dignis excellere indies magis videretur, subditos suos religione ita vicit, vt idem facere, suumque Patriae Patrem quouis modo aemulari nunquam intermiserint. Pauperibus omni tempore stipem dedit satis opimam, et ptochia in prouinciis suis condidit quam plurima. Paucis vt absoluum, semper se religiosissimum praebuit Principem. Fautor bonarum artium fuit in HOC PRINCIPE tantus, vt ipse, quandocunque potuit, liberalibus disciplinis incumberet, atque erga omnes literatos, maxime vero erga doctissimos quosque, et de republica bene merentes viros, incomparabilem suam testaretur beneuolentiam. Semper duabus Musarum sedibus, Marburgensi et Rinteliensi, suam praebuit liberalitatem et beneficentiam, ita vt merito sibi non satis de vita et imperio TANTI SVI NVTRITORIS gratulari potuerint. Sed ah! mors HUIUS PRINCIPIS nunc doloris admouit istis

et

et nobis omnibus faces. Si Platonis sententiae credendum, quod felix faustaque ea sit respublica, ad cuius gubernacula sapientes vel sapientiae amatores sederent: beatam fortunatamque fuisse Hassiam oportet, quia Principem et Gubernatorem habuit CAROLVM, tot tantisque doctrinarum et sapientiae opibus abundantem, vt eum nemo potuerit satis in vita admirari, neque nunc post funera possit admirari satis. In vtraque Academia studio et opera doctissimorum atque clarissimorum Professorum curavit, vt studiosa iuuentus in artibus liberalibus optimos facerent profectus, qui essent aliquando ad Reipublicae felicitatem atque commoda. Illis etiam, qui propter inopiam studia profequi non potuerunt, indefesso tamen studio, quod diuini essent ingenii, bonis artibus incumbere voluerunt, larga dedit beneficia lubentissime, ratus de his spem fouendam esse maximam, fore vt fructus laborum ferant vberiores, et viri olim clarissimi euadant. Porro ad felicitatem reipublicae necessaria omnino est iustitia, ne pro iure habeatur bonitas; neque summo iure, quae saepe summa iniuria, deleatur gratia et, quae virtus incomparabilis est, clementia.

E

PRIN-

PRINCEPS noster omnia diligentissime perspiciens, mala expulit regione sua, bona vero introduxit, leges religiose custodiri voluit, suarumque provinciaram commoda quae propius tangant, optimas dedit sanctiones, vt vbiq; ius et aequum vigeat floreatque. Succurrebat et huic virtuti magna PRINCIPIS OPTIMI clementia, quam, salua iustitia, quilibet sibi promittere potuit. Haec non patiebatur, vt aliquis suspicaretur, PRINCEPEM nostrum etiam in minimis ab optima mente recessurum, et aliorum mala secuturum consilia. Quisquis oppressorum, miserorum, suaque ope et auxilio indigentium, voluit, cum illo potuit colloqui, neque colloqui tantum, sed et gratiam illius et beneficentiam promereri. Quamobrem oratio haec mea, nisi breuitati studerem, ad amorem populi in PRINCEPEM BEATISSIME DEFUNCTVM deflectenda fuisset. Merito et humanitatis mentio esset facienda. Ita in omnibus floruit virtutibus. Ita quicquid PRINCEPE OPTIMO dignum exercere eius nunquam destitit animus. Neque vero in omni virtutum genere versans, tantum in iis ad salutem et felicitatem Reipublicae maxime necessariis laborauit, verum etiam aliquando flagrauit desiderio illud impetrandi, quod ad

ex-

externam Hassiae gloriam et claritudinem pertinere posset. Et quo ille curam luculentior omnibus exhiberet suam, illius multa dedit exempla. Hoc testatur mons ille a CAROLO, NOSTRO HASSIAE LANDGRAVIO, aedificatus, qui sane maximam admirationem meretur. Hoc stupendum opus hominum animos insigni perfundit voluptate. Architectura eius pretiosissima atque rarissima ex omnibus locis pellexit tot hominum millia, vt numerari nequeant. Vnus vero quisque occultas machinas, magno constantes, et cataractas, artificiose factas, non sine admiratione perspexit maxima et stupore. Quis non singulari affectus est gaudio? Quis non suos delectauit oculos rarissimis arboribus, plantis, floribus et herbis, e quatuor mundi partibus<sup>9</sup> comportatis? Si quis desiderat hortum artificiose aptatum inspicere; si quis desiderat magnificentum videre citretum, et balneum arte et sculptura elegantissimum, cui simile vix alibi inueniri potest, omnia haec Cassellis inueniet. Rara ibi dantur animalia, rarissimae inueniuntur ibi aues, et ea, quae exprimi a me non possunt. Significabat suo exemplo Patriae in primis decere Patrem, sibi subiectos omnes fouere,

am-

amplecti, iuuare, neque maximos quosque tantum, sed et infimam plebeculam audire, et quicquid oppressum erigere: suam saltem cuilibet humanitatem et officia praestare. Tempora o funesta et tristia! quibus TANTVM PRINCIPEM amisimus. Tempora o fausta et felicia! quibus quicquid amisimus in AVGVSTISSIMO SVCCESORE ET PATRIAE NOSTRO PATRE CLEMENTISSIMO coelitus nobis restitutum videmus. Et nunc sunt in honore mores optimi, et virtutes omnes florere poterunt sub auspiciatissimo TANTI PRINCIPIS regimine. Fortitudinis et magnanimitatis in rebus gestis expositionem relinquo oratoribus aliis, vel annalium compilatoribus, et historicis. Ecquid enim efficerem in illis rebus, quibus mea non sufficit oratio, non ad oratorias adspirans elegantias; sed tristem PRINCIPIS tantum mortem humili et suppressa voce deplorans. Neque ego, cum oratores alii gratiam Auditorum captarent, nunc aliud possum, quam vestrum omnium, Auditores, luctum, moerorem, tristitiamque altius mecum reputare, et obitum PRINCIPIS OPTIMI vobiscum plangendi nonnullas considerare causas.

Com-

Communis haec naturae lex nobis iniuncta est, ut qui viuimus moriamur. Quae oriuntur rursus occidunt. Omnes vero, qui dudum mortui sunt, a nobis nihil differunt, nisi quod eo iam discesserint, quo nos certo sequi oportet. Suus cuique terminus definitus est, quem transire, quem egredi mortalium nemo potest. Expendite vobiscum, quam misera, quam caduca et fragilis sit omnium vita, quantis casibus obnoxia. Neque nos praeterit, maximis quibuscunque viris haec nobiscum communia: et neminem esse in his terris omni parte beatum. Omnium aetatum Summos Imperatores, eorumque fata, et aliorum quaelibet exempla euoluite. Domi et foris, pace et bello **CAROLVS** felicissimus fuit. Sed vos non latet, eum aduersa passum esse quam plurima, et rerum longo usu expertum, quibus aerumnis mortalium vita agigaretur. Tanto vero felicior noster praedicandus est **PRINCEPS**, quod vtramque expertus fortunam, eadem animi magnitudine et pari constantia misit vtramque sub iugum. Neque enim vllis cessit periculis, neque vlla felicitate intumuit: atque ita nobis superstitibus, vtut inuitis, ad constitutam omnibus metam decurrit. Est ergo quod a luctu gemituque abstinentes animae beatae congratulemur: ne vel eius summae felicitati inuidisse, vel nostra tantum causa nimium doluisse videamur. Est in quo respicemus: quem amplectamur, qui suo sceptro nos erigit, **FRIDERICVS**, **AVGVSTISSIMVS CAROLI SVCCESOR**, **PATRIAE PATER**, nostrumque solatium. Aeterni haec est vniuersi Rectoris sapientia, qui iustis vicibus omnia suo tempore mutat, nec quicquam vult eodem perpetuo consistere tenore, aut in his terris perenne manere. Obiit **CAROLVS**, **HASSIAE LANDGRAVIVS**, quocum dici non potest quantum amisimus; sed superest nobis inuictus **HEROS**, **ET LANDGRAVIVS HASSIAE**


F

VT

VT POTENTISSIMVS, ITA CLEMENTISSIMVS: quocum  
dici non potest quantum accepimus. Haec vt noua gau-  
dia excitant, sic temperant lacrimas, et luctum leniunt. Nec  
mirum videbitur cuiquam, eadem spe excitatos, quoscun-  
que Hassiacae prouinciae continent, insolita laetitia affici:  
cum omnes et singuli nouos et insolitos, quasi viuendi  
fructus percepisse videantur. Nouum HASSIAE LAND-  
GRAVIVM, FRIDERICVM REGEM, omnes suspi-  
ciunt, omnes venerantur, omnes amant. Gaudent senes,  
quod viui adhuc tantae felicitati conspiciendae supersint.  
Gaudent iuuenes, quod indies accrescente aetate maiores  
regiminis fructus essent visuri. Inprimis vero laetitiae hic  
sensus tangit mansuetiores Musas, quae luctum abstergen-  
tes, relinquentes moerorem, inter tripudia plaususque nouae  
tantae felicitatis celebrandae ac diuulgandae auctores  
existunt. Ego vero, vt tenellus, ad dicendum surrexi, ne-  
que aliud possum, submissa oratione et pio voto precor,  
et precantur mecum pariter omnes, quos aeterna potestas  
TUO, AVGVSTISSIME ET POTENTISSIME REX,  
felicissimo subiecit regimini: vt Tibi, et per Te vniuerso  
populo Tuo, virtutibus Tuis digna, i. e. prospera omnia  
contingant. Aeterna sit et perennis, OPTIME PRINCEPS,  
maxima facinorum Tuorum per omnes Europae prouin-  
cias gloria. Atque etiam posthac et sub felicissimo noui  
regiminis auspicio tam laetus vbique euentus sequatur sa-  
luberrima consilia et cogitationes Tuas: vt illis imperii  
summa felicitas indies et nouetur, et augeatur. Ita nostri  
memor, ita fortis atque laetus, FRIDERICE REX,  
priuatim atque publice ex animi voto res age maximas, et  
annos numera plurimos quam felicissimos: vt aeterna  
laude florentem virtutis gloriam aliis super alia  
operibus augere et cumulare possis.

D I X I.





43 18

30. -


6925  
cat.

6. Okt 1966 F.

151 of

Oswald Weigel  
Leipzig, Königstr. 1

30. -



Der muntre, tapfre Prinz, ein Feind von langen Hoffen,  
Des Liebe Meer und Land zeithero unterbrach,  
Freut sich, daß nun sein Wunsch in so weit eingetroffen,  
Daß nach der langen Nacht sich zeigt der güldne Tag;  
Da Er, was der Geist umfassen  
Mit so brünstigen Verlangen,  
Dessen Feuer, dessen Gluth  
Dämpfft kein Meer, löscht keine Fluth,  
Endlich in die Arme fasset, als ein unschätzbares Guth.

So groß mein Hoffen war, spricht Er, wars doch zu wenig,  
Wenn Ich, den hohen Schatz damit vergleichen soll,  
Den Mir der weise Fürst, der Britten grosser König,  
Jetzt sendet zum Gewinn, und meiner Liebe Zoll:

Was vor Danck soll ich Ihm geben?

Wie soll Ich verbunden leben?

Carolina, Deinem Geist

Wird kein Opfer, wie es heist,

t nach Würden angezündet, wenns auch Gold und Weyrauch  
speist.

Laffen, meinem Volck, und der Cherusker Sprossen,  
dunt dieses Glückes Strahl den allerschönsten Tag;  
Wenn der Himmel sonst der Pallas Bild gegossen,  
Id es noch Troja schenckt, da nie kein Wohl gebracht;  
Diß Palladium soll Hessen  
Chren, und niemahl vergessen,  
Daß es ein Geschencke sey,  
Daß der grösten Lieb und Treu  
würdig, denn es bringet dir die güldne Zeit herben.

Musen, welche sich am Leine Fluß ergötzen,  
enn sich ihr stiller Geist ins Alterthum vergräbt,  
nen sich dieß Band zu jenem hinzusetzen,  
Heinrich recht vergnügt mit Adelheid gelebt,  
Da das Glück auf güldnen Wagen  
Hessen damahls hat getragen;  
Da ist Cassels Friederich  
liebt Mariam inniglich,  
sein Hoff ein solches Eden, und sein Land ein Seegens-Strich.

